

MILLERI
DEVIC T9.
[Handwritten signature]



Continentur hoc volumine.

1. D. Job. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub ipsidio D. Nienāij
3. D. Kortholt de Religione naturali contra Naturalistas et Remonstrantes p. Lic. A. Franck.
4. D. I. Musaei questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem aeternam pertinere possit?
5. D. Petri Musaei Oratio contra Atheos cum iustitia Dei impugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmanni disp. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölinoyi disp. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Swiggenij disp. de Attributis Divinis an et quomodo ea inter se et ab essentia differant. R. Herings.
9. M. Hundablagon de Unitate Dei R. Wendeling.
10. M. B. Müller de Summa Dei perfectione R. Donner.
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Unitatis Divinae R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine animae rationalis R. Laubitzon.

Sammelband

67
26

11. 10

DISPUTATIO METAPHYSICA
De
QUIBUSDAM DISTINCTIONIBUS
VOLUNTATIS
DIVINÆ

QUAM
AUXILIANTE DEO
Consentiente

*Amplissimâ ac Spectatissimâ Facultate Philosophicâ
In Illustri Salanâ*

publico Eruditorum examini sistente

M. BARTHOLDVS MVL-
LERUS BATTUSIA-BRUN-
SVICENSIS

ET

JOHAN ADAM SCHULTHESIUS
COBURGO-FRANCUS:

Ad diem Febr.

H. L. Q. C.

J E N Æ,

Stannô WERTHERIANO, Anno M.DC.LXIII.

DISTINCTIO METAPHYSICA

QUATUOR DISTINCTIONIBUS

VOLUNTATE

TER DIVINE

EXAMINATA

AVGVSTINO

M. BARTHOLOMÆO

LEWIS

AVGVSTINO

JONAS ADAM SCHULTHEIS

AVGVSTINO

Stans W. ...





Σὺν τῷ Θεῷ παλάμα!

§. 1.



scripsi præsentem Disputationem: *De quibusdam distinctionibus Voluntatis divinae.* Contra hanc inscriptionem ita quis objicere posset: *Essentia DEI est una. Voluntas divina est ipsa essentia DEI. Er. Voluntas divina est una, & consequenter nullas distinctiones admittere potest.*

§. 2. Verum objectionem hanc quod attinet, respondebo primò ad ejus formam, & deinde quoque ad ejus materiam.

§. 3. Fuerunt olim, qui referente Scoto *1. prior q. 22.* Statuerunt, primæ figuræ quatuor directos modos ratione formæ non concludere, si Syllogismus constet ex terminis & propositionibus divinis. Cui sententiæ & *Scotum* favere, patet ex ejus subsequa (quamvis postea aliam subjiciat) responsione, quam *cit. loco* habet: *Aliter, ait, respondeo quòd isti quatuor modi tenent gratiâ formæ in omnibus terminis, quorum nullus significat aliquam rem, quæ est eadem plurium diversarum rerum. Et hoc probant instantiæ de terminis divinis factæ ante appositum, & exceptis illis terminis tenent in omnibus terminis.* Hæc si veritati consentanea sententia esset, statim dici posset, adductam objectionem rationæ formæ non concludere, cum sit in modo Barbara primæ figuræ, atque ex terminis & propositionibus divinis constet. Verum cum multi, illam, ut erroneam rejiciant, videndum est, quid in allatæ objectionis formâ, ex mente aliorum desiderari possit.

§. 4. Dicunt igitur quidam, quod ad hoc, ut Syllogismus in primâ figurâ ratione formæ sit legitimus, requiratur ut major sit universalis, & signum universale vel actu habeat appositum subiecto, vel saltem habere possit. Jam autem in adductâ objectionem, major hæc: *Essentia DEI est una*, nec actu subiecto habet appositum signum universale, nec salvâ veritate habere potest.

A 2

Ergo

Ergo non est universalis, & consequenter ipsa objectio in forma non est legitima.

o 67
§. 5. Dicas: essentia DEI est quid singulare: singulari autem signum universale apponi non potest, quia hujus natura est, ut significet subjectum, cui apponitur sumi pro inferioribus, aut denominatis suis: jam verò singulare nulla inferiora seu denominata habet. Ergo illi signum universale præponi nequit: nihilominus tamen ex singularibus alias sequitur aliquid æque ac ex universalibus.

§. 6. Videtur responderi posse, quod essentia DEI sit neque singulare, neque universale quid, adeoque terminus hiecc prorsus non poni possit in syllogismo primæ figuræ formaliter bono: quomodo confirmaretur sententia illa, quæ statuit, ex terminis divinis gratiâ formæ in modis primæ figuræ non posse fieri syllogismum. Quod essentia DEI non sit singulare quid, probari potest ex eò, quod sit communicabilis; omne autem singulare incommunicabile. Quod item non sit universale quid, ex eo potest probari, quia non potest multiplicari; omne autem universale potest multiplicari in suis inferioribus.

§. 7. Verum cum inter contradictoria nullū detur medium, & verò universale & singulare importent rationes contradictorias, nimirum communicabile & non communicabile, ideò nec inter illa medium quoddam statui potest, sed quicquid est, referri debet, vel ad universale, vel ad singulare. Jam autem DEI essentia est, ergo referri debet, vel ad universale, vel ad singulare. Sed ad universale referri non potest, quia ad illud requiritur, ut natura ejus in multis, quibz inest multiplicetur: at verò licet essentia DEI sit in multis, nimirum in tribus personis, in iis tamen nequaquam multiplicatur, cum alias necesse esset, ut, sicuti dicere possum, Petrus est homo, Paulus est homo, Johannes est homo, ergo sunt tres homines, dicere etiam possem; Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, ergo sunt tres DEI, id quod tamen est falsissimum. Relinquitur igitur quod DEI essentia sit aliquid singulare: quod insuper probatur ejusmodi argumento: Quodcunque est ens indivisibile in plura talia, quale est ipsum, est singulare. Atqui Dei essentia est indivisibilis in plura talia, quale quid est ipsa, cum

una

una numerò essentia sit. Er. est singulare. Si dicas: Verum, tamen est, quod omne singulare sit incommunicabile; essentia, verò divina sit communicabilis: responderetur, verum hoc est, & propterea hac in parte essentia divina recedit ab omnibus aliis singularibus: nihilominus tamen cum potissima ratio singularium in eò consistat, quòd non possit multiplicari, & verò essentia divina una numerò sit, nec ullò modò multiplicari queat, ideo meritò ad singularia refertur; non autem ad universalia.

§. 8. Quibus ita sese habentibus exceptio in §. 5. allata, adhuc stat, quòd nimirum essentia DEI, quia, ut hactenus ostensum, singulare est, nullum signum universale apponi possit, adeoque objectio in §. 1. adducta, ratione formæ æque legitima esse possit, ac alii syllogismi singulares, quorum subjectis nullum signum universale apponi potest. Sciendum itaque est dupliciter intelligi posse, quòd signum universale subjecto singulari non queat apponi: 1. *Immediatè*, e. g. hoc modo: *Omnis Johannes ambulat.* 2. *Mediatè*, mediante scilicet pronomine QUOD, & verbo substantivo EST, hoc modo; *Omne, quod est Johannes, ambulat.* Supposito hoc, dico nunc; licet termino singulari immediatè non possit apponi signum universale, quia scilicet nulla habet inferiora, seu denominata, ut rectè probat exceptio: non tamen absurdum est, illud eidem apponi mediatè, ut pluribus diduci posset, si instituti ratio permetteret. Jam, si subjecto huic singulari: *Essentia DEI*, mediatè apponatur signum universale, major propositio, nempe hæc: *Omne, quod est essentia Dei, est unum,* (scilicet etiam quoad nostrum modum concipiendi) falsa est; nam e. g. Scientia divina est essentia DEI, nec tamen secundum nostrum modum concipiendi una, sed triplex est, nempe simplicis intelligentiæ seu notitiæ, libera seu Scientia visionis, & media seu conditionata. Similiter potentia divina est ipsa essentia Dei nec tamen secundum nostram rationem una, sed duplex, alia absoluta, & alia ordinata &c.

§. 9. Hæc ad formam. Jam ad materiam respondere progredior. Sciendum itaque est, quòd voluntas divina dupliciter spectari possit 1. *Secundum se* 2. *ex parte objectorum, & circumstantiarum.* Secundum se si spectetur, una numero est, & in-

dividua, quemadmodum ipsa essentia DEI : neque enim hac ratione aliud est in DEO essentia & voluntas, sed sunt unum τὸ ὅλον. Ex parte verò objectorum, & circumstantiarum si spectetur, multiplex est, atque distinctiones quasdam admittit. Consentunt in hoc Petrus Lombardus, & Gregorius de Valentia : Ille enim, *Lib. 1. distinct. XLV. p. 214. & 315.* ita loquitur : *Hic non est prætereundum nobis quod sacra Scriptura de Voluntate DEI variis modis loqui consuevit : Et tamen non est DEI voluntas diversa, sed locutio diversa est de voluntate, quia nomine voluntatis diversa accipit. Nam voluntas DEI verè ac propriè dicitur quæ in ipso est, & ipsius essentia est, & hæc una est, nec multiplicitem recipit, nec mutabilitatem, &c.* Hic verò T. 1. Disp. 1. gener. q. XIX. Punct. II. p. 399. lit. A. *Divina, inquit, voluntas, si ipsa secundum se spectetur, non est nisi unica simplicissima. Sed quoniam quidam sunt, quibus ob habitudinem eorum quandam ad voluntatem divinam, nomen ipsum divine voluntatis analogicè tribui solet ; & quia variè quoque nos possumus divinam voluntatem considerare, prout illa respicit alio & alio modo diversa objecta ; idcirco variè solet à Theologis divina voluntas dividi.*

§. 10. Atque hæc ita præmittenda existimavi, ne quis, si inscriptionem præsentis disputationis legeret, in eam veniret opinionem, quasi illa plures realiter distinctas voluntates in DEO statuminare vellet : cuius contrarium ex hæcenus dictis luculenter apparet. Non enim ut modò ostensum, præsens disputatione admittet ullam voluntatis divine distinctionem realem secundum se si spectetur ; sed tantum illi secundum nostrum modum concipiendi, ratione objectorum & certarum circumstantiarum, quasdam distinctiones attribuet.

§. 11. Martinus Becanus in *Theol. Schol. parte 1. Tr. 1. cap. XI. qv. 1. p. 104.* ita loquitur : *Supra dixi, scientiam DEI secundum se unicam esse, licet ex parte objecti varia sit. Idem nunc dico de Voluntate DEI. Una est secundum se : multiplex ex parte objecti, & circumstantiarum. Dividitur autem his modis. Primò, à Scholasticis, in voluntatem signi & beneplaciti. Secundò ab iisdem, in voluntatem ab solutam & conditionatam. Tertio à Damasceno, in voluntatem antecedentem & consequentem. Quarto, ab Augustinò, in voluntatem efficacem & in efficacem. Quintò, à Calvinistis, in*
volun-

voluntatem revelatam & arcanam. Quibus optimè distinctio-
nes voluntatis divinæ disposuit. Sequar igitur hanc dispositio-
nem *Becani*, deque singulis breviter agam.

PRIMA DISTINCTIO.

In Voluntatem signi & Beneplaciti.

§. 12. *Becanus* dicit, à Scholasticis dividi voluntatem DEI, in voluntatem, signi & beneplaciti, & quidem rectè: dicunt enim, Scholastici quòd voluntas DEI bifariam accipiatur, vel propriè in se, ut est dispositio & beneplacitum DEI; vel impropriè & figuratè, pro signo voluntatis, quo interius beneplacitum exterius notificatur, quemadmodum patet ex *Lombardo Lib. 1. sent. dist. XLV. pag. 317.* Hinc orta apud eos est distinctio in Voluntatem signi & beneplaciti, quam ponit *Thomas Aquinas parte 1. Summæ quest. 19. art. 11. & sic in corp. art. exponit*: *Voluntas*, ait, *propriè de Deo dicitur. Et ideò in Deò distinguitur voluntas propriè, & metaphoricè dicta. Voluntas enim propriè dicta vocatur voluntas beneplaciti. Voluntas autem metaphoricè dicta est voluntas signi, eo quod ipsum signum voluntas dicitur.* Vid. idem *Thomas in sentent. distinct. XLV. quest. IV. Col. 2. p. 140.* Magister *Durandus de Sancto Portiano l. 7. dist. XLVI. quest. III. fol. CXXXIII.* ita describit: *Voluntas*, inquit, *beneplaciti est voluntas propriè dicta: vel actus suus volendi, quo aliquid sibi placet: sed voluntas signi dicitur metaphoricè voluntas DEI: eò modò, quo signum nominatur metaphoricè nomine rei, cuius est signum: ut imago Herculis, vocatur Hercules* *Gregorius de Valentia Tom. I. disp. I. gener. quest. 19. Punct. 2. col. 400.* ita explicat: *Voluntas beneplaciti*, ait, *appellatur ipsa inclinatio seu propensio DEI in objectum à se cognitum, que inclinatio propriè voluntas divina nominatur, ut patet ex ratione vocabuli. Voluntas autem signi, nominatur id quod solet esse apud nos signum voluntatis erga aliquid, quod idcirco ex ratione quidem suà solet esse aut certè potest esse signum voluntatis etiam divine. Quamobrem hæc divisio divine voluntatis, non est univoci in univocata, sed analogi in analogata. Nam de signo divine voluntatis non dicitur voluntatis nomen nisi metaphoricè, & analogicè. &c.* Denique *Guilielmus Estius Tomo I. Comment. in IV. libr. sentent. libr. I. dist. XIV. §. 7. p. 219.*

219. hoc modo declarat: *Dicitur, inquit, voluntas beneplaciti in Deo, quâ vult aliquid propriè loquendo &c. Voluntas autem signi dicitur temporarium aliquod signum voluntatis, id est, res aliqua vel actio, quæ voluntatis signum esse solet.*

§. 13. Ex hisce intelligitur, sensu Scholastico voluntatem beneplaciti esse internum aliquem actum seu consilium DEI; Voluntatem signi verò esse aut verbum, aut actum aliquem temporarium, quo interiorem æternum actum seu consilium hominibus manifestat. Quod quia multis modis fieri solet, hinc quintuplicem faciunt signi voluntatem, 1. præceptum, 2. Prohibitionem, 3. Consilium, 4. Permissionem, 5. operationem, recensentè Gregoriò de Valentia *cit. loco*, & Francisco Svarezio super primam Thomæ *l. 3. de attrib. div. c. 8. p. 148.* ut ita quæ voluntas vel beneplacitum DEI sit, signetur, si quid Deus præcipiat, vel prohibeat, vel consulat, vel operetur. Et hoc clarum est. De permissione verò dubitari potest, utrum rectè vocetur voluntas signi?

§. 14. Ratio dubitandi est, quod permissio est ad peccatum, quod tamen DEus non vult. Sed facilè forsan dubitatio hæc solvi posset, si distingveretur inter permissionem negativam & positivam, & diceretur, quod permissio saltim positiva respectu pœnarum & bonorum, sit signum voluntatis divinæ; non vero permissio negativa respectu malorum seu peccatorum. Verum alia addenda non permittunt, ut diu me detineam in hac dubitatione, solvendâ. Videas ergo Christophori Scheibleri *lib. 2. Metaphys. cap. 3. punct. 2. pag. 28.* ubi eam solvit. Ego jam, expositâ mente Scholasticorum de distinctione Voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti & signi, aggrediar Calvinianos, atque videbo, quomodo illorum plerique dictam distinctionem exponant.

§. 15. In alienam igitur penitusque diversam significationem plurimi Calvinianorum distinctionem istam detorquent, uti videre licet ex illorum testimoniis, quæ ex *Calviniano, Bezâ, Zanchio, Rennecherò, Thysio, Piscatore, Paræo, Bucano &c.* prolixè congregaverunt cum Nostrates, B. D. Gerhardus, Theologus suo tempore incomparabilis, *part. 1. disp. Theol. de gloriâ DEI disp. 6.* D. Sigvardus *in admonit. de frenico Paræi p. 433. seqq.* D. Jacob. Martin. *disp. 10. Coll. novi anti-Calv. §. 7.* D. Meisnerus *part. 1. probe Calvinist.*

nist. cap. 1. p. 77. seqq. & part. 2. proba cap. 5. pag. 488. Dn. Theologi Hasso-Darmstadini in der gründlichen Ausführung cap. 2. pag. 66. seqq. Tum Remonstrantes sive Arminiani in Actis Synodalibus ad Art. 3. p. 11. 12. 13. 14. Ibid. pag. 38. 39. 41. 42. seqq. Summa istorum testimoniorum omnium est hæc, quod voluntas signi sit, quando DEUS exterius aliquid patefacit, & velle se dicit, imò jubet etiam, quod tamen nequaquam seriò vult, quia de eò intus in arcano consilio suo longè aliud decretum habet. Voluntas verò beneplaciti, quando arcano quòdam, absoluto, omnesq; causas antegresso decreto aliquid vult, si vel maximè exterius significet, se id non velle.

§. 16. Verùm voluntatem signi ita à Calvinianis explicatam sequenti modò impugno. Communis apud Metaphysicos sententia est, quod omne signum suum habeat signatum, cum quo conveniat: non enim signum & signatum sibi opponuntur, sed potius ad se invicem referuntur. Ergo & voluntas divina signi, si ve (ut rectius diceretur) signum voluntatis divinæ, aut habebit signatum, aut minùs: si non, etiam non est voluntas signi, quoniam signatum non habet, seu non repræsentat aliquid potentiæ cognoscendi; in quo tamen quidditas seu ratio formalis signi consistit. Sin habet signatum, aut cum cò consentit, aut minus: Si non, falsò significabit, nullaque vera voluntas signi dicendum erit. Nam sicuti falsum est signum quod cum suo signato non consentit, sed aliud significat, præter id, cujus signum esse dicitur: ita voluntas signi falsa est, si non illud ipsum, quod intus decretum est, exprimat, adeoque DEUS, qui ejusmodi habet voluntatem erga homines, seu utitur tali falso signo, imposturæ arguetur, non secus ac ille, qui odia atque inimicitias in pectore fovens, externa favoris & amicitiae signa prodit. Sin consentit, jam signatum nullum aliud erit, quàm ipsa DEI voluntas interna, utpote quæ extra per illud signum sese manifestaverat. Atqui si hoc, tunc falsissimum est, DEUM quicquam velle voluntate beneplaciti, quod nolit voluntate signi, aut contra. Hinc Svarez distinctionem istam Scholasticorum, quâ Calviniani pessimè abutuntur, exponens in Operibus super I. Thomæ l. 3. de attr. div. c. 8. p. 148. rectè scribit: *signum voluntatis metaphoricè dici voluntatem, semper tamen in Deo indicare aliquam veram voluntatem, alias non esset verum signum,*
B neque

neque nomen voluntatis mereretur: sicut homo pictus, nisi verum hominem repraesentaret, nec analogicè homo dici posset. In his ergò signis attente considerandum est, quàm veram voluntatem in DEO indicent.

§. 17. Objiciunt Calviniani: Si DEUS seriò vellet atque intenderet omnes homines salvos fieri, utique & omnes salvarentur: ita enim Synodus Dordrechtana pag. 224. *secundum edit. Dordrac.*; *secundum Hanoviensem* verò p. 738. ad verba Christi Matt 23. Quoties volui aggregare liberos tuos: *Hac verò Deitatis suæ voluntas per prophetas explicata, non fuit voluntas beneplaciti, NB. alioqui fuissent omnes aggregati, sed fuit voluntas signi, quâ DEUS quid ab omnibus fieri vel omitti velit declarat &c.*

§. 18. Verum ut docent Metaphysici: ab intentione finis ad ejus executionem non valet consequentia, nec à negatione consecutionis finis ad negationem intentionis ejusdem Valet consequentia. Ergo etiã non valet, quando Synodus dicta, ita colligere vult: Si intentio seu voluntas beneplaciti Christi fuisset aggregandi liberos Hierosolymæ, utique fuissent omnes aggregati. Sed non omnes sunt aggregati. Er. nec intentio seu voluntas beneplaciti Christi fuit aggregandi liberos urbis Hierosolymæ: procedit enim hæc collectio ab intentione finis ad ejus executionem, & negatione consecutionis finis ad negationem intentionis, quo utroque modo, ut dictum consequentia non valet. Vid. Regulæ nostri B. Stahlii, *part. 2. disp. 6. p. 147.* & *Discursus super Tabulam Metaphys. X. lit. C. D. E. F.*

§. 19. Sed quid hîc Piscator? Blasphemè ille regerit in Resp. ad Apolog. Bertii p. 145. *Absurdum, inquit, non est, DEUM interdum loqui falsum, & nos teneri DEO id quod falsum est asserenti credere.* Et in Resp. ad amicam duplicat. Vostii pag. 327. *Non sequitur, a jens, Deus est, sanctissimus & veracissimus. Er. non vult interdum falsum pro vero amplectamur, quia Scriptura utrumque testatur DEUM scilicet & Sanctissimum & veracissimum esse, & tamen voluisse, ut Abraham statueret eum velle ut ipse mactaret filium, quod tamen falsum erat, quia revera hoc non voluit, quia impedivit.*

§. 20. Contra ego regero atque respondeo 1. In DEUM
nullo



nullo modo cadunt voluntates contradictoriae aut contrariae. Ergò absurdum est, DEum interdum loqui falsum, & nos teneri Deo id quod falsum est asserenti credere. 2. Christus dicit Matth. 5. v. 37. Sermo vester sit ita, ita, non, non: quicquid praterea est, ex MALO est. Si noster sermo talis esse debet, quantò magis Dei? Ex MALO, ex MALO igitur es, Pilcator, quod DEI verissimi sermones in meras *vanities* & simulationes commutas. 3. Quando DEUS praecepit Abrahamo, ut immolaret suum filium, significabat quidem se velle, ut esset obediens & promptus ad immolandum; non tamen ut reipsa immolaret, ait Becanus in Theol. Schol. p. 1. tr. 1. cap. XI. n. 3. Et consentit B. Meisnerus in *Avθρωπ. Sacra dec. 2. disp. XII. quest. I. n. XXXII.* 4. Non disputatur præcisè, an DEUS interdum extra salutis negotium aliud videatur verbis præ se ferre, quam decrevit: Sed an intra salutis negotium hoc faciat, id quod negatur, quo de videas nostros Theologos, B. Meisnerum, dato loco, Brochmandum *Systemat. Theol. Artic. 13. cap. 2. XXIX. p. 242.* Celebrerrimum Dn. D. Seldium Ecclesiae Römhildensis Superint. in *Scriptis & disput.* ejus passim. Nam ultimum hoc, nobis non competit diducere.

§. 21. Hieronymus Zanchius *l. 3. de natura DEI c. 4. quest. 10. p. 368. 369. seqq.* ad primam nostram resp. plura quidem reponit, & ut contrarietatem voluntatis divinae amoliat, prolixum instituit discursum, sed in cassum, uti in conflictu ostendere paratus sum. Hic saltè paucula adhuc addam de *Chamiero* Calviniano Gallo. Immane quantum hic Scholasticorum doctrinam de distinctione Voluntatis DEI in voluntatem beneplaciti & signi Tom. 2. Panstat. l. 3. c. 8. p. 47. taxat, accusans eos partim petulantia, partim malitia, quod S. Scripturam pro ludibriò habeant, vocabulorum sono abutentes rebus ipsis neglectis. Item stupiditatis & ignorantiae, quod operationem DEI referant ad voluntatem signi, n. 10. Denique negligentiae, quod in voluntate signi explicandâ negligentiores fuerint, ideò quòd prætermiserint minas & promissiones. Verba ejus in n. 12. sunt hæc: *Quid? quod in voluntate signi negligentiores fuere: Nam si ita significatur modus omnis, quo hominibus apparet aliquid DEum velle: certè plures ejusmodi voluntates numerari debuerunt, quam quinque.* Nam mine,

Et promissiones, neque praecepta sunt, neque prohibitiones, neque permissiones, neque consilia, neque operationes. Et tamen ita proponuntur, quasi sint voluntas DEI. Ita Ninivitis minatus est à Dominò excidium Jonas. Ita Ezechia Regi mortem Isaias.

§. 22. Ad hæc omnia plura responderi possent. At brevitatibus studiosus nolo ad singula respondere. Ad ultima saltem, quæ Scholasticorum distinctionem insufficientiæ accusant, nonnulla dicam.

§. 23. 1. Non est, quod Chamier in Scholasticos tantoperè invehat, eorumque distinctionem voluntatis signi, in præceptum, prohibitionem &c. insufficientiæ, arguat. Fortassè enim quidam ex ipsis Scholasticis de hoc cum eò adeò rigorosè non contendunt: Estius enim lubenter fatetur, alia adhuc signa voluntatis divini addi posse: ita namque *lib. 1. sentent. dist. 45. §. 7. p. 219. lit. E.* loquitur: *Porrò quinque signis jam declaratis necessario videtur annumerandum sextum, quod est preparatio, ut voluntate preparationis id velle dicatur Deus, quod etsi secundum se nec velit, nec faciat aut facturum sit; vult tamen secundum causam præviã & preparantem, quia nimirum huiusmodi preparatio solet in nobis signum esse, quod eam rem facere velimus. Exempli causa: Qui minatur aut permittit aliquid, dicitur hoc velle facere: Qui gladium stringit in aliquem, dicitur eum velle occidere. Sic enim Abraham quando manum arrepto gladio extendit in filium verè eum occidere voluit. Juxta hunc igitur modum signi de Christo dicitur Marci 6. Volebat præterire eos, qui tamen non præterivit, sed voluisse hoc dicitur, quia ibat in diversum, ut Augustinus interpretatur libro 2. de consensu evangelist. cap. 47. Hoc autem erat initium & preparatio quedam ad prætereundum & in nobis signum esse solet nos velle præterire &c. 2. Durandus tamen *lib. 1. sent. fol. 133.* sufficientiam quinque signorum voluntatis DEI satis probat, qui videri potest: verba enim cum nimis longa sint, huc adscribere nequeo. 3. igitur secundum Durandum forsan minæ & promissiones ad prohibitiones & præcepta, quibus annexæ sunt referri possunt, id quod expressè etiam fatetur Joannes Strangius S.S. Theol. Doct. & in Academia Glasguensi Professor Primarius *lib. 1. de Voluntate & Actionibus DEI circa peccatum, cap. 31. p. 12.* 4. Denique mirum est, quod Cha-*

Chamier distinctionem Voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti & signi adeò reprehendat, cum tamen eam Massonius *part. 1. Anatom. cap. 37. p. 297.* aliique plurimi Calviniani laudent atque probent; imò ipsa Synodus Dordrac. sæpiculè adhibeat. Videtur hoc esse indicium desperatæ causæ. Sed quid lego in ejus *Tom. 2. Panstrat. l. 3. c. 8. p. 47. § 6.?* Ita ibidem ait: *Voluntatis distinctionem in signi & beneplaciti, video probari Beza. Imò non probari. Longè enim alio sensu; quam à Scholasticis proponatur. Signi appellat, quam hominibus ipse DEUS patefecerit. Beneplaciti, quam apud se retineat, nobis occultam: ut quum pollicetur Abrahamo, se fore DEUM, tum ejus, tum seminis ab eò oriundi, ea sit voluntas signi. At quum Ismael & Esau rejecit beneplaciti. Hoc sensu, vult DEUS mala semper voluntate beneplaciti, interdum etiam voluntate signi. Multa enim eventura jam ante prædixit, hoc est significavit se velle ut evenirent. Exempli gratia, traditionem Christi, quam tanto ante significaverat per Prophetas. At Scholastici disertè pronunciant, DEUM, nunquam velle malum voluntate beneplaciti. Hic forex se foramine suo prodit. Nimirum non reprehendit Chamier distinctionem voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti & signi, prout à Socio suo Beza accipitur, sed prout à Scholasticis accipitur. Verum nos admittimus istam distinctionem in sano sensu Scholasticorum; in sensu verò Bezæ illam rejicimus penitus, quia est erroneus & falsus, ut pluribus ostendi posset, si non ad alias pergendum esset distinctiones.*

SECUNDA DISTINCTIO.

In Voluntatem Absolutam & Conditionatam.

§. 24. Dicit Becanus, quod ab iisdem Scholasticis, Voluntas DEI dividatur, in voluntatem absolutam & conditionatam. Evolvi quosdam, quibus potiri mihi licuit. Inveni hanc distinctionem sparsim in illis; sed utriusque definitionem non inveni: Becanus tamen utramque describit: *Absoluta, inquit, DEI voluntas est, que semper impletur & ideò vocatur efficax. Conditionata est, que non semper impletur, & ideò vocatur inefficax.* Ne verò quis putet voluntatem conditionatam prorsus esse inefficacem, postea hæc subjungit: *Voluntas conditionata duo includit, sed*

*diversò modo. Primo, formaliter & expressè includit affectum simplicis complacentia, qui hoc modo explicatur; Placet mihi salus omnium hominum. Secundo, eminenter & implicitè includit efficacem voluntatem, quæ actu non est, sed tamen esset, si conditio poneretur. Et ex hac parte dicitur voluntas conditionata, quæ hoc modo explicatur; placet mihi salus hominum omnium, & ita mihi placet, ut nisi obstarent peccata efficaciter illam vellem. Cum quibus consentiunt, quæ B. Meisnerus habet in sua *Avθρωπ.* Sacrà, dec. 2. disp. 12. q. 1. num. III. Sicuti, ait, duplex potestas in DEUM cadit, nempe 1. absoluta. 2. ordinaria, sic & voluntas DEI duplex statuenda est. Alia absoluta, alia conditionata, vel ordinaria. Ista nullam; hæc aliquam conditionem habet additam, quæ absente, non fit, quod Deus alioquin fieri vult. Quam ob causam illa per se & semper est *θέλημα ενεργητικόν* vel efficax: hæc autem ob absentiam conditionis nonnunquam fit *θέλημα ἀνενεργητικόν* vel inefficax. Vide quoque ejus *Philos. Sobriam*, p. 1. s. 4. q. 8. p. 631. ubi eadem hæc verba reperiuntur.*

§. 25. Calviniani conjunctim absolutam DEI voluntatem quidem admittunt; sed conditionatam non admittunt. Vid. Chamier, in *Panstrat. sue Tomiz. libro 1. cap. 6. n. 21. p. 105.* Wendelinus in *Christ. Theol. lib. 1. cap. 1. num. 4 p. 99.* alique passim, Rationes pro suâ sententia afferunt plures, quas tamen omnes ob chartæ penuriam, ipsis eorum verbis adducere, adductasque solvere, nequeo. Duas ergo tantum, quas ex illorum Scriptis hausi, adferam, & ad eas breviter respondebo.

§. 26. Dicunt 1. DEUS est ens independens: DEUS semper operatur independenter à conditione rerum: DEUS in operando à nullâ conditione est suspensus. Ergo ei voluntas conditionata tribui nequit. Dicunt 2. DEUS est Sapientissimus: DEUS omnia infallibiliter novit: DEUS de nulla re dubitat: propositiones autem conditionales sunt dubitativæ. Ergo tales DEUS in decretis suis non adhibet. Ergo & DEO nulla voluntas conditionata convenit.

§. 27. Verum hæc duæ rationes tantæ non sunt, ut quicquam nostræ sententiæ præjudicare possint. Ad primam antequam respondeam prænoto: aliud esse, DEUM operari dependenter à conditione rerum: aliud DEUM esse ens dependens, seu ESSE dependenter

denter. Hoc posterius falsissimum est, cum extra omnem dubitationem positum sit, Deum existere independenter ab omni alio. Prior verò si ritè & absque imperfectione explicetur, prout nimirum, Deum operari dependenter à conditione rerum, nihil aliud est, quàm eum conformiter agere rerum essentiis, simpliciter pro falso haberi nequit, id quod ex naturalibus declarari potest.

§. 28. Quando Deus producit hominem, operatur conformiter naturæ hominis; nam quod Deus producat hominem rationalem, pendet à naturâ ipsius hominis, qui non potest aliter produci & existere; cum Deus non possit, ob contradictionis implicantiam, producere hominem nõ rationalè. Similiter quando Deus producit accidens, operatur congruenter conditioni essentiali accidentis, quia illud producit dependenter à subjecto: Si enim Deus independenter accidens produceret à subjecto, produceret accidens sine subjecto. Nam quod fit aut producitur, incipit esse, quia productio nihil aliud est quam actio, quâ in genere aliquid esse seu existere incipit: diciturq; propterea productio, quoniam omne quod producitur, ducitur ab aliquo, in quò fuisset, si non productum fuisset. Ergò quando accidens producitur sine subjecto incipit esse seu existere sine subjecto, quod asserere nequis, nisi forsan in castra Pontificiorum transmeare, eorumque figmenta defensare volueris.

§. 29. Quibus ita se habentibus, illud Calvinianorum *Deus semper operatur independenter à conditione rerum*, si hoc velit, quod DEus rerum naturis & conditionibus essentialibus non conformiter operetur, negari potest. Ut enim ex dictis patet: DEus in rebus naturalibus producendis conformiter earum essentiis operatur. Quidni ergo dici posset, Deum in aliis quoque rebus, quæ non sunt naturales, earum essentiis seu conditionibus essentialibus conformiter operari? Non video ullam prægnantem rationem.

§. 30. Ad 2. rationem resp. concedendo, quod Deus sit sapientissimus, quod Deus omnia infallibiliter noverit, quod Deus de nullâ re dubitet; negando verò, quod propositiones conditionales sint dubitativæ; quæcunque enim propositiones assertoriè aliquid enunciant, non sunt dubitativæ. Sed propositiones conditionales assertoriè aliquid enunciant. Er. non sunt dubitativæ.
Quod

Quod ut melius intelligatur, sciendum est, in propositionibus seu enunciationibus conditionalibus duo considerari posse 1. antecedens & consequens in se 2. nexum inter antecedens & consequens. Antecedens & consequens in se cum particula conditionalis, in propositionibus conditionalibus, nihil assertorie enunciant, sed dubium atque suspensum animum relinquunt; nexus verò inter antecedens & consequens, semper est assertorius. E. c. quando dico: Si asinus volat, habet alas, antecedens & consequens in se spectata in hac enunciatione nihil assertorie dicunt: nexus tamen inter illa assertorie aliquid utique dicit. Jam ergo quando dico, quod propositiones conditionales non sint dubitativæ, intelligo id de illis quoad nexum; non verò quoad antecedens & consequens in se consideratis.

§. 31. Quibus stantibus cadit jam, quod DEUS in decretis suis propositiones conditionales non possit adhibere. Sunt quidem decreta divina omnia indubitata, adeoque illa nullæ propositiones dubitativæ ingredi possunt. Verum neque propositiones conditionales, ut ostensum, sunt dubitativæ, sed ratione nexus certæ & assertoriæ. Ergo quò minùs hæ decreta divina ingredi queant, nihil obstat.

§. 32. Dicas: licet propositiones conditionales in indicativo prolatae non sint dubitativæ, sunt tamen tales si proferantur in conjunctivo seu optativo, ut e. c. si dicam: Si omnes homines audirent verbum DEI, vellem eos convertere; & si omnes homines piè viverent vellem eos diligere. Er. ejusmodi saltem videntur non ingredi posse decreta divina, quod tamen multi orthodoxi Theologi affirmant. Resp. ejusmodi propositiones conditionales in conjunctivo prolatae, in indicativo etiam facilissimo negotiò efferri possunt. E. c. adductæ duæ h. m. Si omnes homines audiunt verbum DEI, volo eos convertere, & : Si omnes homines piè vivunt, volo eos diligere, quomodo nullam dubitationem amplius involvunt. Applicari huc posse videntur, quæ Vazquez habet *Tom. I. disp. LXXXVIII. Cap. IV. n. 24. p. 510.* Deinde dico, ait, *intellectum cum considerat rem sub conditione, ibi etiam actu invenire suam entitatem, & veritatem, in quam absolutè tunc fertur. Primum est veritas in connexione antecedentis, & consequentis sub*

con-

conditione, qua est actu objectum intellectus; Præterea cum considerat possibilia, ac si essent sub conditione futura, apprehendit entitatem illorum & sibi met representat eam, ac si præsens esset: Sic etiam voluntas hoc pacto ferri potest in rem (qua ut existit, vel futura sit pendet ex conditione) quatenus illi secundum se bona est, & ita placere potest, ac si futura esset, re ipsa: atque hæc ratione movere potest voluntatem ad actum simplicis complacentiæ, qui per verbum indicativi modi, *PLACET*, rectè explicatur: (NB.) non per verbum optativi solum, *PLACERET*. Hic autem est simplex affectus complacentiæ, virtute tamen continens efficacem voluntatem, sed sub conditione.

TERTIA DISTINCTIO.

In Voluntatem, Antecedentem & Consequentem.

§. 33. Hanc distinctionem voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem primùm hinc terminis proposuit Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 29. Eadem tamen quoad rem videtur esse cum distinctione, quam tradit Chrysostomus hom. 1. in Epist. ad Ephesios, nempe in voluntatem primam & secundam. Explicatur autem ista distinctio à Scholasticis aliisque non uno modo. Quasdam explicationes adferam.

§. 34. Thomas in I. parte q. XIX. a. VI. ad primum, antecedentem voluntatem dicit esse, quæ respicit objectum, prout illud, cum primò secundum suam naturam absolutè consideratur, apparet bonum & expetendum; Consequentem autem, quæ idem objectum respicit, sed prout non modò secundum naturam suam, verum etiam secundum omnes adjunctas circumstantias consideratum, bonum & expetendum apparet. Id quod declarat exemplo iusti iudicis, qui homicidam ut hominem antecederet considerans, præclaris etiam cum aliis fortè dotibus ornatum, vellet eum vivere, sed consequenter considerans illum ut homicidam, vult eum morte damnari. Et postea, addito tamen prius adhuc exemplò ex sacris, ait, consequentem DEI voluntatem, simpliciter dicendam esse voluntatem, quoniam semper impletur: antecedentem autem esse voluntatem secundum quid, quia non est effi-

C

cax

cax. Vid. D. Joh. Georgius Dorscheus in Thomæ Aquinate confessore veritatis sect. 8. cap. 2. th. 4. p. 442. & 443. & celeberrimus Theologus Dn. D. Salomon Gesnerus in disput. 16. q. 6. p. 587. seqq. qui posterior, si non ex toto, ex parte tamen Thomæ etiam assentiri videtur.

§. 35. Gregorius de Valentia T. I. disp. I. quest. XIX. Punct. II. col. 402. refert, quod alii quidam ex Scholasticis statuunt, DEum illud velle voluntate antecedente, quod quantum est ex parte suâ vult, non quidem immediatè, sed in illius antecedente causâ ab ipsò Deo ita præparatâ, ut ex eâ possit illud sequi, *ut si consequatur, sit DEO placiturum, immediatè etiam secundum se, vel certè placere per se possit.* Quod Gregorius forsan adjiciendum putavit, propter Ariminensem, qui in dist. 47. quest. unica, inter alia ita loquitur: *Præterea, si ideo dicatur DEus velle omnes salvari antecedenter, quia omnibus vult vel dat antecedentia salutis, quæcunque sunt illa; multo fortius dici deberet, quod vult omnes peccare, vel esse in peccato antecedenter, quoniam omnibus dat antecedentia, quibus possunt peccare: ex seipsis enim vel naturalibus propriis certum est, homines posse peccare; & pueri omnes naturaliter nascuntur in peccato: & tamen nullus hoc diceret DEum velle antecedenter; quin imò secundum Damascenum sola bona vult nobis DEus antecedenter.* Etenim de ejusmodi consequentibus solùm, procedere vult Gregorius istam interpretationem, qualia, quoties fiunt, DEO sunt placitura, ut ita excluderet peccatum à volitione DEI antecedente. Non enim peccatum est aliquid tale, ut si consequitur ex suâ causâ, possit DEO per se placere.

§. 36. Voluntate verò consequente secundum illorum, quorundam Scholasticorum sententiam, referente eodem Gregoriò, DEus illud vult, quod non jam in suâ causâ tantùm, sed immediatè quoque & secundum se vult; quando scil. nihil vel deest, vel obstat, quo minus id aliquando in esse ponatur. Quocirca secundum hanc explicationem Scholasticam, omne bonum quatenus actu fit, vult DEUS voluntate consequente: Voluntate autem antecedente DEUS tantùm vult omnes homines salvos fieri, & rectè vivere, quatenus singulis naturam in se bonam & liberam concessit, ac concedit confertque quoque auxilia sufficientia

cientia, ut id præstari & consequi queant, sique præstiterint, Deo est placitum.

§. 37. Verum ut horum Scholasticorum manifestior fiat unum vel alterum ex iis, propriis verbis loquentem audiamus. Itaque Joannes Scotus in 1. dist. 46. quæst. unica, vult, ait, Deus omnes salvos fieri, quantum scilicet est ex parte sui, & voluntate sua antecedente pro quanto dedit iis dona naturalia, & leges rectas, & adjuvantia communia sufficientia ad salutem: sicut de Rege statuente bonas leges, & præfigente ministros ad custodiam istarum legum posset dici, quod vult omnes subditos suos pacifice vivere, & quietè; & tamen si videret aliquem tribulari injustè, non statim oporteret, quod Rex intrmitteret se ad faciendum illum quiete vivere, nisi devolvetur causa ad ipsum per querimoniam de facto: vult quidem iste quemlibet pacifice vivere, & quiete antecedenter, non tamen vult quemcunque immediatè ita vivere.

§. 38. Durandus de Sancto Portiano & rem ipsam & rei rationem explicatius adhuc videtur proponere, quando libr. 1. dist. XLVI. q. 1. fol. CXXXIV. lit. M. & N. ait: Notandum, quod in voluntate divina, cum sit summè simplex, non potest inveniri diversitas, ratione autem voliti, nihil prohibet eam diversimodè considerari, secundum diversas conditiones volitorum. Volitum autem, de quo nunc loquimur, est creatura rationalis, quæ est ordinabilis in beatitudinem, in qua est, duo considerare, scilicet id quod ordinatur, & auxilia quibus juvatur ad consequendum finem ad quem ordinatur. Et secundum utrumq; istorum accipi potest distinctio voluntatis in antecedentem & consequentem. In eò enim quod ordinatur ad beatitudinem, est considerare, naturam, & personam. Quantum ad naturam, DEUS vult omnes homines salvos fieri, in quantum dedit omnibus naturam capacem beatitudinis, & ordinabilem ad beatitudinem. Quantum verò ad personam, non vult omnes homines salvos fieri. Actiones autem sunt personæ & suppositi, & quia multi deviant à fine ultimò per suas actiones pravas, ideò quantum ad ea, quæ sunt personæ, non vult DEUS omnes salvos fieri. Prima autem voluntas dicitur antecedens, secunda consequens, quia prius est considerare naturam ordinabilem in finem, quam actiones personæ, quibus finem consequitur, vel à fine deviat, & sic patet, quod quantum ad id quod ordinatur

dinatur in finem ultimum, DEus voluntatē antecedente vult omnes salvos fieri, & non voluntate consequente. Etiam patet, quod sic ibi voluntas antecedens & consequens. Item quantum ad auxilia, quibus creatura juvatur, potest eadem distinctio voluntatis sumi. Sunt enim quedam communia auxilia, quæ dantur omnibus ut salvi fiant, scilicet liberum arbitrium, præcepta & consilia, & huiusmodi, quibus omnes possunt dirigi in his, quæ pertinent ad salutem. Sunt nihilominus quedam specialia, ut gratia, virtutes, perseverantia in bono & huiusmodi, quæ dantur quibusdam specialiter & singulariter. Quia autem commune præcedit ordine natura id quod est speciale, voluntas divina, ut respicit communia dicitur antecedens; prout specialia, dicitur consequens; & isto modo vult DEus omnes homines salvos fieri, voluntate antecedente, non autem consequente. Quam eandem sententiam idem Durandus, quamvis verbis paulò aliter, egregiè explicat *dist. 47. q. 3. lit. Z.*

§. 39. Denique Gabriel in lib. I. sent. distinct. 46. non obscure etiam loquitur, quando ibid. ait: *Voluntas DEI beneplaciti est duplex antecedens & consequens. Sed ille terminus antecedens, est terminus Connotativus significans multa: Deum scil. & creaturam. Et potest sic describi: voluntas antecedens est voluntas divina, dans alicui antecedentia ad consequendum aliquid: cum præcepto, & consilio exequendi, sine revelatione contrarii parata ei coagere si velit. Et velle antecedenter, est, seu dicit, DEum dare antecedentia (hoc est necessaria) ad aliquod præceptum vel consilium exequendum &c.* Ochamum & Herveum, qui in eadem hac sententiâ sunt, ipsemet in *1. d. 46.* videas. Si enim & horum verba vellem adducere, charta huic disputationi destinata tandem deficeret.

§. 40. Svarez in Operibus, lib. 3. de attrib. Dei cap. 8. p. 148. declaratam & recensitam hætenus sententiam sequentibus videtur infringere velle: *Cum voluntas, ait, antecedens vera sit, & non metaphorica, & ratione illius dicitur Deus velle aliquid, v. g. salutem omnium hominum, 1. Timoth. 2. necesse est, ut talis voluntas sit aliquo modo terminata ad rem volitam in seipsa. Præterea, hæc duæ voluntates distinguuntur ratione à Theologis, ut juxta illam expositionem non essent duæ voluntates, sed una, quæ ut terminatur ad suam*
obje-

objectum immediatum est consequens, respectu verò alterius, quasi virtute, vel causaliter in illò contenti, dicetur antecedens. Denique nec ratio nominum quadrat, nam voluntas, quæ versatur circa objectum proprium, cur eâ ratione consequens dici debet, cum sit proxima sui objecti (ut sic dicam) & aliud non sit objectum ejus nisi virtute & quasi interpretatione quâdam. Circa quæ fateor, habêrem, quæ monère possem. Verum transeant hæc vice.

§. 41. Ex nostris tandem Theologis Dn. D. Balthasar Mentzerus in *Exegesi August. Conf. art. II. num. 7. p. 310. & 311.* antecedentem & consequentem voluntatem DEI ita explicat: *Antecedens voluntas*, ait, *dicatur, ut spectatur tantum in DEO, certum salutis ordinem constituyente. Consequens voluntas*, inquit, *vocatur, ut spectatur & in hominibus, prout illi voluntatem Dei in Evangelio propositam vel amplectuntur, vel rejiciunt.* Confer etiam B. Meisnerum in *Av. & ωπ. decad. 2. disp. 2. q. 1. dist. 2. & in Philos. Sobriâ p. 1. s. 4. q. 6. p. 627. Gerhard. Tom. 2. Loc. cap. 4. p. 146. &c.* Secundum quos, antecedens voluntas Dei terminatur ad hominum salutem sub ratione mediorum, prout hæc ex parte Dei, æqualiter ad omnes ordinata sunt; consequens verò; sub ratione mediorum, prout à nonnullis verâ fide acceptantur; ab aliis finali incredulitate excluduntur.

§. 42. Verum hoc modò si explicetur distinctio voluntatis DEI, in antecedentem & consequentem, Calviniani eam prorsus non admittunt. Chamier in *Tom. 3. Panstrat. lib. 8. cap. 5. num. 16. p. 115.* posteaquam Didaci Alvaris responsionem ad quandam objectionem adduxit, expressè dicit: *Ego ipsam hanc voluntatis divinæ, (in antecedentem & consequentem,) distinctionem malo funditus tollere.* Perkinsius apud Tvvissum *lib. 2. p. 4. de promissione, sect. 12. p. 647.* ait, *Videtur non esse talis voluntas, quâ indefinitè vel ex conditione, vult omnes & singulos omnium ætatum homines salvos fieri.* Et Wendelinus in *Christ. Theol. lib. 1. cap. 1.* Postquâ pluribus frustra conatus est è medio tollere distinctionem voluntatis divinæ in absolutam & conditionatam *p. 100.* subjungit: *Ejusdem commatis est distinctio divinæ voluntatis in antecedentem & consequentem: uti quidem ab adversariis ea explicatur. &c.*

§. 43. Contra nos distinctionem hanc probamus firmissi-

Ar. mo hoc argumentô : Si Deus omnium hominum salutem vult, & ad illam consequendam media etiam ordinavit, postea tamen illis solùm actu salutem vult conferre, qui media pertinaciter non repudiant, sequitur duplicem esse DEI voluntatem, antecedentem & consequentem. Sed verum est antecedens, er. & consequens. Antecedens probant Theologi ex 1. Tim. 2. 4. ubi dicitur : DEUS πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, & tamen actu vult illos saltem salvare, qui credunt Job. 3. v. 10. ubi dicitur : ὁ πισεύων εἰς αὐτὸν, ἔκρινεται ὁ δὲ μὴ πισεύων ἤδη κέκριται.

§. 44. Sed regerunt hic Calviniani : Antecedens allati argumenti non potest probari ex 1. Tim. 2. 4. quia in illô τὸ omnium accipitur pro singulis generum, ita ut sensus sit : Si DEUS omnium omninò humanorum individuorum salutem vult &c. in adducto verò loco accipitur τὸ omnes pro generibus singulorum. Ita Wendelinus in Theol. Christ. l. 1. c. 3. th. 13. obj. 1. p. 179. Per omnes homines, ait, Apostolus non intelligit singulos homines, ita ut planè nullus excipiatur : sed quosvis homines, hoc est, omnis generis homines. Germanicè : Nicht alle / sondern allerley Menschen : tàm principes, quàm subditos, tàm pauperes, quàm divites, tàm ignobiles, quàm nobiles &c. Particula OMNES, ut in scholis loquimur, est distributiva in genera singulorum, non in singula generum. Hæc Wendelinus, qui adhuc addit, quod eodem modo hunc locum interpretetur August. de corrept. & gratiâ cap. 14. Eadem expositio etiam est Beza, Danai, Martyris, Wtakeri, aliorumque Calvinianorum.

§. 45. Contrà, Nostrates Theologi ex contextu firmissimè ostendunt hanc responsionem nullò modo subsistere posse, quos propterea videas : nostrum enim non est hoc ex contextu ostendere, cum hac ratione falcem in alienam messem mitteremus. Ex Logicis itaque ac ratione saltèm ostendamus dictam expositionem locum invenire non posse.

§. 46. Petrus Taretus existimat, vocem omnis non posse esse distributivam in genera singulorum. Illius verba comment. in. 2. Top. p. 245. lit. H. Sunt hæc : Respondetur, quod non est de mente Aristotelis, concedere talem propositionem (omne animal fuit in arcâ Noæ) cum sit instantia de multis individuis, quæ nunquam fuerunt in arcâ Noæ ; ideo simpliciter & de rigore sermonis tale sophisma

*phisma est falsum: Omne animal fuit in Arca Noe. Dicunt tamen aliqui, quod est verum & dicunt, quod τὸ omne distribuit pro generibus singulorum, id est, pro speciebus & non pro individuis, sed hoc fuit aliàs reprobatum in summulis, ubi fuit dictum, quod nullum signum distribuit solum pro speciebus, nisi includat in se istum terminum, species, sed illud signum omne, non includit, igitur non potest solum distribuere pro speciebus &c. Quæ si vera essent, explicatio Wendelini suorumque asseclarum jam esset refutata. Verum non videntur esse vera, cum nullum in se habeant fundamentum quo probari possint. Autoritatem Aristotelis, ad quam provocat Tataretus, quod attinet, falsum est, quod ex mente ejus propositio, in qua signum *Omne* distribuat tantum pro speciebus, non sit admittenda, ut ex pluribus illius locis ostendi potest. Hinc B. Stahlius in *Regulis*, p. 2. *disp. 6. Reg. 1. & 2. num. 5.* ait, quod *verissimum sane sit, quod particula omnis distributivè sumpta interdum sumatur pro singulis generum; interdum vero pro generibus singulorum, quamvis in institutionibus Logicis lib. 3. cap. 4. p. 124.* animum de sententiâ Tatareti suspendat.*

§. 47. Dicit quidem Tataretus in subsequentibus, quod in S. Sacra ejusmodi propositiones, in quibus particula *omnis* pro generibus singulorum accipiatur occurrant, verum *in rigore sermonis* illæ non sint concedendæ. At cum nullam probationem addat, eadem facilitate, quâ hoc ab ipso asseritur, rejici etiam potest. Relinquitur itaque, quod Tatareti responsio Calvinianis opponi non possit. Ergo de aliâ dispiciendum erit.

§. 48. Pro verissimo habet B. Stahlius *dicto loco*, quod in hac enunciatione: *O. animal fuit in arca Noe*, particula *omne* sumatur pro generibus singulorum. Verum videndum, quodnam sit subjectum in dicta enunciatione? Sanè non est species specialissima, sed genus, quod sub se suas continet species, cui particulam *omne*, pro generibus singulorum sumtum, sæpè præfigi, largiter conceditur. At speciei specialissimæ neque secundum vulgarem & usitatum loquendi modum, neque secundum phrasin scripturæ, particula *omne*, pro generibus singulorum acceptum, unquam præfigi solet. E. c. quando *Matth. 4. 23.* dicitur, quod Christus sanaverit *πασάν νόσον omnem morbum*, rectè dicere

pos-

possum, quod hinc particula *πᾶσιν* sumatur pro generibus singulorum. Ratio est, quia morbus est genus, quod sub se suas continet species. At quando Scriptura dicit, quod omnes homines sint peccatores, particula *omnes* non potest accipi pro generibus singulorum, ita ut sit sensus, *omnis generis homines, tam principes, quam subditi, tam pauperes, quam divites, tam ignobiles, quam nobiles &c.* sunt peccatores. Ratio est, quia homo non est genus, sed species specialissima, cui particula *omnis*, vel *omnes* juxta phrasin scripturae nusquam solet addi: nec etiam juxta communem usum loquendi. Nam e. c. quando dico: Omnes meos equos amisi: nemo audit hanc oratione facit sibi ejusmodi conceptum, quod omnis generis equos tam magnos, quam parvos, tam nigros quam albos &c. quibusdam tamen adhuc retentis, amiserim; Sed potius, quod omnes & singulos meos equos amiserim. Ratio nulla alia videtur esse, quam quod equus sit species specialissima; non autem genus.

§. 49. Quibus ita se habentibus verba Wendelini in §. 47. adducta in fumum abeunt: nam quando *I. Tim. 2.* dicitur: *DEUS vult OMNES homines salvos fieri* particula *OMNES* non praefigitur generi, sed speciei specialissimae, nempe homini.

§. 50. Caeterum conantur Calvinistae distinctionem voluntatis divinae in antecedentem & consequentem prout à Mentzero aliisque nostratibus Theologis explicatur, variis adhuc argumentis ac rationibus impugnare. Chamier *Panstrat. T. 3. lib. 8. c. 5. num. 16. 17. & 18. p. 115.* tres contra illam adfert rationes; Perkinus verò apud *Tvissum lib. 2. Vindictarum p. 4. p. 647. seqq.* Septem. Cum quibus confer Wendelinum *in Christ. Theol. Tom. 1. c. 1. Thes. 18. p. 98. seqq.* Calvinistas Embdanos *part. I. Actorum Synodi Dordrechtanae pag. 600. & 601.* Piscat, *in Notis ad collat. Vorstii sect. 8. p. 2930.* ubi idem prorsus argumentum Embdanorum urget. Molinæum Calvinistam Gallum *p. 1. Actorum Synodi Dordracena in Judicio eidem Synodo transmissio p. 408.* eundemque *in Anatome Arminianismi cap. 5.* Qui omnes plurima dictis locis corradunt, quibus distinctionem voluntatis divinae in antecedentem & consequentem, destruere moluntur: sed frustra, ut de singulis facile ostendi posset, si non pagellae huic disputatiunculae destinatae jam tum essent imple-

impletæ: Unicum ergo saltè argumentum, quod quidam ex ad-
ductis Calvinianis immane quantum urgere solent, adferam atque
solvam. Illud est hoc: Quod Deus ab æternò infallibiliter præscit
nunquam fore, illud neque vult, neque intendit efficaciter volun-
tate antecedente. Sed omnia omnino humana individua non
salvatum iri, DEUS ab æternò infallibiliter præscit. Er. nec omni-
um omninò humanorum individuorum salutem DEUS volunta-
te antecedente efficaciter vult & intendit. Majorem probant,
dicentes: Quis crederet, omniscium Deum velle & intendere,
seriò voluntate antecedente, quod nunquam universaliter futu-
rum infallibiliter præscit, cum ne in hominem quidem pruden-
tem ejusmodi volitio atque intentio cadat?

§. 51. Argumentum hoc quod attinet sciendum est, secun-
dum quosdam antecedentem voluntatem, quâ DEUS omnium
hominum salutem vult, esse affectum saltem simplicis compla-
centiæ seu inefficacem voluntatem. Ex horum igitur sententiâ
responderi posset, non esse absurdum, quod DEUS ab æterno in-
fallibiliter præsciat, omnia omninò humana individua non sal-
vatum iri, & tamen illorum salutem velit, atque intendat, verum
non efficaciter, ut in argumentò dicitur, sed saltè affectu simpli-
cis complacentiæ, seu inefficaciter. Verum cum verior sententia
sit eorū, qui voluntatē antecedentē in DEO efficacem voluntatem
& non saltè affectum simplicis complacentiæ esse statuunt aliter
respondendum erit. Dico ergo quod major sit cum hâc limita-
tione accipienda: Quod Deus ab æternò infallibiliter præscit,
nunquam fore, illud neque vult, neque intendit efficaciter scilicet
absolutè, vult tamen atque intendit efficaciter scil. *conditionatè*.
Hic jam si Calviniani dicant, ne in hominem quidem prudentem
ejusmodi volitionem atque intentionem conditionatam cadere,
multo minus ergo in DEUM, nego in totum, ostendoque contra-
riū vel solo boni Principis exemplò. Bonus Princeps desiderat
efficaciter commodum atque salutem singulorum subditorum,
vultque atque intendit seriò, sed conditionaliter, ut singuli, NB.
si virtuosifuerint, vivant. Hinc & ut singulos virtuosos efficiat, le-
ges illis præscribit, licet præsciat, multos eas non observaturos
esse, sed malitiosè violaturos, seque sceleribus ita contaminatu-
ros, ut

D

ros, ut



ros, ut melius sit eos non vivere. An verò hoc à prudentis officio alienum est? Minimè gentium. Vid. *Viri maximè Reverendi, Amplifs. atque Excellentifs. Dn. JOH. MUSÆI, SS. Theol. D. & Prof. in almâ hâc Salanâ Famigeratissimi, Promotoris atque Præceptoris mei honoratissimi Disp. II. de Voluntate DEI anteced. & conseq. Lib. 3. de usu princip. contra Vedelium in fin. adjuncta*, in quâ eòdem allato exemplo de bono Principe, Vir laudatus utitur.

QUARTA DISTINCTIO.

In Voluntatem Efficacem & Inefficacem.

§. 52. Hanc divisionem, ait Becanus, aliqui colligunt ex D. Augustino in *Enchiridio c. 100. & sequentibus*, ubi dicit, in iis etiam, quæ sunt contra voluntatem DEI, semper impleri voluntatem DEI. Et hanc quæ semper impletur, vocat invictam, & omnipotentissimam voluntatem. Igitur, pergit Becanus, ex mente Augustini, efficax seu invicta DEI voluntas est, quâ statuit bene agentes remunerare, & peccantes punire. Hæc semper impletur. Inefficax est, quâ vult omnes benè vivere, & neminem peccare. Hæc non semper impletur.

§. 53. Verum si hæc mens Augustini est, ut refert Becanus, contrariatur Augustinus Chrysofomo: hic enim voluntatem DEI, quâ omnes vult benè vivere, & neminem peccare, non habet pro inefficaci, sed pro efficacissimâ voluntate. Verba ejus *homil. 1. in epist. ad Ephes.* ex quibus hoc clarissimè patet sunt sequentia: *Secundum propositum voluntatis suæ*, inquit, *perinde est, quia vehementer vellet fieri: hoc ipsius erat desiderium, quasi si quis dicat; hæc ipsius erat voluntas, eudoxia enim utique est præcipua DEI voluntas: est enim, & alia ejus voluntas, ut est primaria illa, secundum hanc non vult perire peccatores. Est & secundaria, secundum quam eos, qui in sceleribus persistunt contaminati, vult perire: neque enim istos necessitas plectit supplicio, sed voluntas. Tale aliquid videre apud Paulum liceat, videlicet, ut cum dixit, volo omnes homines esse sicut me ipsum, rursus, volo juniores nubere, filios procreare. Eudoxia ita primariam illam voluntatem indicat, & ingentem ipsius, atque propensam erga nos cum flagrante desiderio conjunctam benignitatem. Neque enim defugiam dictione hâc uti, communicare licet, idque explicanda rei causa, & in eorum gratiam, qui simpliciores*

res

res sunt, quod ipsi dicimus $\pi\iota\sigma\mu\alpha$, & secundum animi nostri voluntatem, affectionem, hoc est, quod mirum in modum cupit, vehementer desiderat, nostram ipsorum salutem. Hæc Chrysostronius, cujus sententia & nobis admodum probabilis videtur.

§. 54. Dicas: Quomodo autem illa voluntas efficax, imò efficacissima potest vocari, quæ non semper impletur? Respondent quidam quod possit omninò ita vocari, si scilicet habeatur non pro absolutâ, sed ordinariâ voluntate, quæ cõditiones & media ordinaria respiciat, quibus positis satis efficax sit; absentibus verò inefficax, non suo, sed hominum, media ista ordinaria fastidientium & rejicientium, vitio. Illustrant hoc exemplo. Posset ajunt, DEUS absolutâ suâ voluntate singulos homines cibò & potu conservare, quod si quis jam ita demens esset, ut cibum præsentem non capere atque sic vitam suam conservare vellet, atque sic fame periret; nunquid Tu propterea DEI voluntatem, quâ singulorum hominum vitam conservare vult, diceres inefficacem, eiq; causam mortis attribueres? minimè verò, quia DEO non placuit in vitæ sustentatione, voluntate absolutâ & miraculosè nobiscum, agere; sed voluntate ordinariâ, per media ordinaria: ideò inefficax voluntas DEI ordinata dicenda esset, non ex parte ipsius DEI d. ex parte hominis dementis atque fatui, utpote qui ordinatis mediis ad vitæ sustentationem uti noluit, & propterea fame periit. Hæc illi.

§. 56. Alii respondent voluntatem DEI, quâ aliquid vult fieri per potentiam ordinatam, semper impleri, & nunquam impediri: Dicunt enim quod, voluntas DEI quæ sese per potentiam respectu agentium liberorum exserit sit disjunctiva e. c. quod DEUS velit hunc, vel istum hominem, Johannem vel Paulum ordinario modò in vivis conservare, si cibo & potu utatur, aut non conservare si iis non utatur. Sive jam, ajunt, Johannes, Paulus vel alii cibò & potu utantur, sive non, DEI voluntas in ipsis impletur, per hoc, quod eos conservet. Si non utantur, DEI voluntas in ipsis impletur per hoc, quod eos non conservet. Ut verò voluntas divina conservandi & non conservandi in uno subiecto impleatur & efficax sit, hoc, inquiunt, fieri non potest, cum sit voluntas disjunctiva, cujus ut alterum membrum impleatur, alterum verò non, necesse est.

§. 57. Cæterùm de efficaci & inefficaci voluntate DEI, varia disputare solent Scholastici, quæ tamen nos ob nimiam pagellarum angustiam impræsentiarum adducere atque examinare non possumus. Duas er. saltèm quæstiunculas de illis ad feramus, brevissimeque ad illas respondebimus 1. quæritur de efficaci Dei voluntate: utrum tollat libertatem arbitrii nostri? Videtur quod sic, quia ei resisti non potest. Quicquid ergo illa vult necessariò fit. Respondeo breviter, distinguèdo. Nimirùm voluntas efficax potest bifariam spectari. Primò quatenus immediatè atq; absolutè respicit aliqua effecta, estque eorum causa particularis. Sic nemo potest illi resistere. Secundò quatenus aliqua effecta absolutè & immediatè non respicit, nec causa eorum particularis, sed universalis est; & hoc modo de illâ, disputatur. Sic verò potest causa quædam secunda, ut homo, illi resistere seu illam impedire, adeoque quicquid hac ratione vult, necessariò fit. Nec tamen ex hoc aliqua in Deum imperfectio redundat. Nam, quod dicto modo quædam effecta à voluntate DEI efficaci necessariò non fiant, causa non est, quòd DEUS non potuerit sufficienter illa producere, sed quòd non voluerit aliter, quàm secundùm ordinem, à se in naturâ institutum, nempe generaliter atque mediatè concurrere cum causis secundis.

§. 58. Chamier in Panstrat. Cathol. Tom. 3. lib. c. 5. statuit voluntatem creatam à DEO seu voluntate ejus efficaci, quatenus aliqua effecta immediatè non respicit ad agendum determinari. Determinari verò voluntatem creatam ad agendum ipsi idem, est, quòd ita illam moveri, ut non possit non velle, vel oppositum velle. Quæ si vera essent, sanè efficax voluntas DEI libertatem arbitrii nostri penitus tolleret. Verum vera non sunt, quia 1. absurdum est nos carere libertate arbitrii. 2. quia sequitur ex illis, Deum esse per se & directè causam peccati; si enim ille, qui persuadendo saltèm voluntatem alterius ad peccandum determinat, quamvis determinatio hæc voluntati nullam necessitatem inducat, pro causa peccati habetur; non potest non majori ratione DEUS pro peccati causâ haberi, si verum est, quòd Chamier dicit, creatam voluntatem ab illo seu voluntate ejus efficaci ita ad malos actus determinari, ut in ejus potestate non sit agere, vel aliud agere.

§. 59. Ob-

§. 59. Objicit Chamier: *causa omnis secunda movetur ad efficiendum per primam. At voluntas creata est causa secunda & Dei voluntas est prima. Ergo voluntas creata movetur ad efficiendum à voluntate Dei. Si autem movetur: ergo determinatur.* Sed resp. ad majorem: *Causa omnis secunda nihil quidem efficit, nisi cum generali concursu causæ primæ: at propriè non movetur ad efficiendum per primam, quia instrumentum à causâ principali ad efficiendum s. agendum propriè movetur; causa secunda autem, respectu primæ nequaquam instrumentum est. Quod si igitur vult Chamier, ut ejus major admittatur, necesse est ut eam tantum accipiat in hoc sensu: causa omnis secunda nihil efficit, nihil agit, nisi cum generali concursu primæ: quomodo totum ejus argumentum conceditur, ut tamen minimè sequatur, quod ulterius Chamier infert: Si, inquit, movetur (à causa prima voluntas creata) ergo determinatur. Nam quia concursus causæ primæ cum secundis universalis est & indeterminatus, non potest ei citra contradictionem tribui, quod secundam & particularem causam determinet sed contrà potius dicendum est, quod hæc illam determinet, ut rectè ait, *maximè Reverendus noster Dn. D. Musæus in diss. doctissimâ de liber. arbitrio anno 45. hic Jena habitâ §. ult. Vide quoque Ampliss. atque Excellentiss. B. Slevogtii disputationes de indiff. vol. humana, in quibus omnia ista satis diducta reperies.**

§. 60. II. De inefficaci DEI voluntate quæritur, utrum hæc DEO tribui possit? Negant quidam, quia 1. videtur esse impropriè dicta voluntas: nihil autem improprii DEO tribuendum est. 2. quia *DEUS quæcunque voluit, fecit* Ps. 115. 3. & 135. 6. sic 46. 10. *consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam facio.* Ergo in DEO nulla datur inefficax voluntas, nec hæc ei est tribuenda.

§. 61. Contra I. Deus vult & amat multas creaturas possibles, nec tamen efficaciter. Er. ei convenit voluntas inefficax 2. Deus vult & amat se ipsum voluntate inefficaci & complacentiæ, non efficaci, quia hæc tantum spectatur in iis, quæ DEUS efficit & exequitur.

§. 62. Ad rationem I. contrariam resp. negando, voluntatem

tem inefficacem esse improprie voluntatem: ut enim modo dictum, DEUS seipsum vult & amat voluntate inefficaci & complacentia. At DEUS seipsum non improprie, sed proprie vult & amat. Cui accedit, quod actus elicti Velle & Nolle sint maxime proprie actus voluntatis nostrae, quippe qui immediate à voluntate profluunt & emanant, licet non sequatur actus imperatus. Quis itaque dubitaret Deum quoque proprie velle bonum & nolle malum, licet non semper alterum efficaciter velit efficiatque, & alterum efficaciter nolit impediatque. Deinde, posito, voluntatem inefficacem esse improprie dictam, nondum exinde colligi poterit, eam DEO tribui non posse: falsum enim est quod Deo secundum captum nostrum nihil improprie tribui queat. Ad 2. respondent Theologi, quod in dictis illis scripturae non innuatnr Deum omnia facere, ad quae extenditur ejus voluntas in genere; DEUS enim vult seipsum, sed non facit seipsum. Sed Deum facere omnia, quae vult facere voluntate absolutâ efficaci seu omnipotentissimâ, nec posse mutari, nec ab aliquo impediri, quin revera efficiat, quod eâ voluntate omnipotentissimâ absolutâ velit.

QVINTA ET ULTIMA DISTINCTIO.

In Voluntatem Revelatam & Arcanam.

§. 63. Hanc distinctionem voluntatis divinae habet Calvinus *lib. 1. institut. cap. 17. §. 2. & lib. 3. cap. 20. §. 43.* ubi dicit unam Dei voluntatem in scripturis esse revelatam, quâ Deus vult præcepta sua servari. Alteram arcanam seu absconditam quâ omnia moderatur & in suum finem destinat. Wendelinus in *Christ. Theol. l. 1. c. 1. tb. 18. p. 96.* ait, quod *arcana voluntas Dei proprie sic dicta sit æternum & immutabile Dei decretum de faciendis vel permittendis in tempore plurimis, quae ignota sunt nobis, ex defectu patefactionis; revelata autem, proprie non sit DEI decretum sed patefactio facta in verbo quae tamen semper decreti alicujus est testimonium, sed non semper ejus, quod primâ fronte à nobis concipitur.*

§. 64. Verum hæc distinctio admittenda nequaquam est, eò sensu, quò à Wendelino; cum primis autem à Calvinò traditur.
Nam

Nam, ait Becanus *Theol. Schol. p. 1. Tr. 1. c. 11. q. 1. n. 13. p. 108.* ipse (Calvinus) docet, Deum prohibere peccata per voluntatem revelatam; praefinire tamen & ordinare peccata per voluntatem arcanam & absconditam, id est, Deum quidem in scripturis revelare nobis & patefacere, quod nolit peccata; interim tamen occulte velle peccata, ut habeat occasionem exercendi justitiam vindictivam. Quæ profecto assertu impia sunt.

§. 55. Notanter autem in §. præcedenti diximus, quod eò sensu, quò à Wendelinò, cum primis autem à Calvino distinctio hæc traditur, nequaquam sit admittenda. Nam pro diversitate objectorum, posse voluntatem DEI distingvi in arcanam & revelatam, Nostrates Theologi libenter concedunt: at respectu ejusdem prorsus objecti, ut volunt Calviniani, illam ita distingvi posse unanimiter negant. Vid. Collegium, maximè Reverendi nostri Dn. D. Musæi, quod olim habuit in F. C. *Articul. XI. th. V.* ubi egregiè hæc demonstrat. Et nos quidem plura de hæc distinctione plura addere possemus, verum partim ad cathedram Theologicam potissimum spectat, partim etiam charta plura non capit. Esto itaque hîc

FINIS.

*Q*uam variè distingvatur ratione, voluntas
Entis supremi, ritè tuere modò.
Pergas materias Sophicas evolvere plures,
Et quo cæpisti, progrediare pede!
Est nullum dubium large quin Diva voluntas
Mox dederit studiis mitia fata tuis.

Doctissimo Dn. Respondenti auditoti suo
assiduo ita applaudebat

SEBASTIANUS Nieman

SS. Th. D. & Prof. P. h. t. Coll. Theol.

Decanus.

Her.



Herbula momento, quo prima videtur, odorem
Exspirat, mage quem mox redolebit ea.
SCHULTHESI Sophicum Juvenis jam prodis odorem,
Hinc facis notum vir modò qualis eris.

Benivolentia test. ergò adp.

ERNESTUS FRIDERICUS Schröter
Hæredit. vff **Wickerstatt** Jctus & Prof. Publ.

Distinctim quæris, quæ sit divina voluntas?
Schulthesi, specimen tale sequetur honos.
Quem tibi pro meritis concedere noster Apollo
Pransus cum Musis atque paratus adest.

gratulab. deprop.

ERHARDUS VVEIGELIUS, P.P.

*Doctissimo Dn. SCHULTHESIO, Contubernali suo Cha-
rissimo hoc Schediasmate benè ominatur.*

PRÆSES.

Quotuplex ad nos Superi voluntas
Disputas. Hinc Salaides parabunt
Mox Tibi Laurum meritam à Minervæ
Numine doctò.

M. BARTHOLDUS MULLERUS.

In Sophicis studiis quæ sit Tibi cura perennis,
Atque labor nimius, publica charta docet.
De cœptis claris Tibi grator, Amice, Capefces
Præmia, quæ Tibi lux proxima ritè dabit.

*Paucula hæc contubernali & amico suo dile-
ctissimo, Candidato Magisterii dignifs.*

gratulab. adjecit

WILHELMUS ANDREÆ, Lyneb. Saxo.


FB 3341


ULB Halle 3
001 846 40X


TA-OC

W 17







DISPUTATIO METAPHYSICA
De
QUIBUSDAM DISTINCTIONIBUS
VOLUNTA-
TIS DIVINÆ

QUAM
AUXILIANTE DEO

Consentiente

Amplissimâ ac Spectatissimâ Facultate Philosophicâ

In Illustri Salanâ

publico Eruditorum examini sistente.

M. BARTHOLDVS MVL-
LERUS BATTUSIA BRUN-
SVICENSIS

ET

JOHAN ADAM SCHULTHESIUS
COBURGO-FRANCUS:

Ad diem Febr.

H. L. Q. C.

J E N Æ,

Stannô WERTHERIANO, Anno M.DC.LXIII.

